

Palàm est illic à me non negari, sanctos bonis operibus esse præditos: sed tantum nullam inueniri in hominibus iustitiam quæ Dei tribunal sustineat: Quod vnum est ex præcipuis fidei nostræ capitibus. **Vt Spiritum sanctum isti phrenetici hæreticum & Lutheranum magis quàm me faciant.**

Psal. 65. a. 3.

Artic. 4.

Annotatio, Ante Christum orationes nostræ non exaudiebantur. Bibliis 1545.

Censura, Hæc annotatio est hæretica.

Si per solum Christum nobis ad Deum patet accessus: sperandum non est vt preces nostræ exaudiantur, donec regnet inter nos Christus. Et quisquis preces suas, nisi illo mediatore fretus, ingerit, dignus est qui cū sua temeritate & superbia repellatur. Imò quæ potest esse precandi fiducia sine Christo, quæ etiã omnino fides, quæ sola Deum nobis propitium reddit? Annotatio quam ita atrociter confodiunt, in illum Psalmi locum posita est, Tu exaudis pre-cationem. Illic dicitur, proprium & peculiare esse beneficium regni Christi, quòd Deus preces exaudiat. Ergo ante Christum, tantundem

d. i.